

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5476

**Auteur(s) :** Richard, Brewton (prieur)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1222

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard, le prieur de Brewton, demande à Hugues [de Morville], évêque de Coutances, d'établir le règlement du patronage des églises de Moyon, Tessy-sur-Vire et Pierreville qui lui appartient. L'évêque fait du prieur de Brewton un chanoine perpétuel en lui assignant les églises de Moyon et de Pierreville: il percevra l'autelage de Moyon et le tiers de l'autelage de Pierreville. Le prieur aura tous les droits d'un chanoine, excepté celui d'élection. L'église de Tessy-sur-Vire, en revanche, avec les deux tiers de la dîme et l'autelage, sera unie à la commune du chapitre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances, Saint-Lô*, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 277, p. 416-418.

## Dissertation critique

v. st.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Ricardus, prior, et conventus Sancte Marie de Briwtona, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum jus patronatus ecclesiarum de Moion et de Taissi in Constantiensi diocesi fuissemus canonicè adepti, communi assensu et voluntate, ordinationem earumdem ecclesiarum, venerabilis in Christo patris Hugonis, Dei gracia Constantiensis episcopi arbitrio, duximus committendam, humiliter postulantes ut de fructibus ipsarum ita disponeret quod, et ecclesie nostre de Brevbertone et ecclesie Constantiensis utilitati et honori, perinde idem episcopus, communicato capituli Constantiensis consilio, me Ricardum, priorem de Briwtone, et successorem nostrum quemlibet fratrem et canonicum ecclesie sue Constantiensis instituit, assignans nobis et successoribus nostris in prebenda dictas ecclesias de Moyon et de Petrivilla, salvo jure episcopali et archidiaconali, in omnibus retentis congruis portionibus presbyteris qui in eisdem ecclesiis pro tempore ministrabunt, postulantes ut de fructibus in ecclesia de Moyon obventionibus, altaris sola frugum decima in prebendale beneficium convertenda. In ecclesia autem de Petrivilla, que magis tenuis est, tercia garba cum altalagio reservetur. Si vero per canonicos nostros de Briwtone in predictis ecclesiis de Moion et de Petrivilla juxta tenorem privilegiorum nostrorum voluerint deservire, predictus episcopus nobis super hoc concedit liberam facultatem et quod tunc omnes earum ecclesiarum proventus integre percipiamus, in usus proprios convertendos. Ego vero Ricardus prior et successores nostri percipiemus in ecclesia Constantiensi, sicut et alii canonici, beneficium omne si presentes affuerimus et habebimus stallum in choro et vocem in capitulo in omnibus agendis ecclesie, excepta electionis causa, ita tamen quod ad necessitates ecclesie non tenebimur nisi voluerimus transfretare. Sane prefatus episcopus predictam ecclesiam de Tesseio, in augmentum communie Constantiensis capituli, in perpetuum beneficium assignavit, episcopali et archidiaconali in omnibus, sicut

predictum est, salvo jure, videlicet duas partes decime frugum, cum altalagio et pertinentiis suis presbyteri quem episcopus Constantiensis in eadem ecclesia instituendum decreverit usibus reservato. Hanc igitur reservationem predicti episcopi ego Ricardus prior, pro me et capitulo nostro de Briwtone, ratam habui et acceptam et hec viva voce in capitulo Constantiensi protestatus sum, preostensis episcopo et capitulo litteris patentibus de nostri ratihabitione conventus, quoque in Constantiensi capitulo, sicut canonici facere consueverunt, me fidelitatem ecclesie Constantiensi et canonicas et approbatas consuetudines servaturum. Et ut hoc perpetuam optineat firmitatem, presenti scripto patronicio et sigilli nostri munimine duximus confirmare. Actum anno gracia millesimo CC° XXII°.